



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm Novembris Et Decembris

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10263

Vita S. Emerici, B. Stephani Hungarorum Regis filij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77423)

Novigen^o martyrij. Psal. 115. **Novigen^o cuit: adeptusque est novum, non mortis, sed carnis mortificatione, martyrium. Et cum sit in conspectu Domini preciosa mors martyris, dum beatissimus Amantius in seipso hostem & persequitur, & prosternit, fuit in conspectu Domini mors preciosa viuentis.**

Quædam de hoc beato Antistite Amantio Lector offendet infra 13. Nouembris in Vita S. Quintiani primò Rutensis, in dè Aruernorum Episcopi: qui sancto Amantio successit.

**DE SANCTO LVSORE PVERO ET CONFES-
SORE, EX GREGORIO TVRONENSI: DE GLO-
ria Confessorum, Cap. 92.**

Nouëbris 4.



LN Dolensi Biturigi termini vico beatus Lufor Leucadi, quondam senatoris filius requiescit, qui fertur in albis migrasse à seculo: in crypta verò positus super pavementum, sepulcrum habens ex marmore Pario mirabiliter exculptum. Factum est autem, vt quadam vice sanctus Germanus Parisiæcæ vrbs Episcopus, ad hunc tumultum vigilias celebraret, haud procul formulam habens, in qua genua, cum necessitas cogeret, deflecebat. Factum est autem in vna vigiliarum nocte, dum Psalmos lectionis Dauidicæ decantaret, stationis labore lassus clerici, quasi pro aliquo releuamine se super sepulcrum sancti defixis vlnarum com-

*Vtinã hæc attenderet, qui sancto-
rum sepulcra & sacras reliquias irreuerenter tractant.* pagibus sustentarent. Contremuit ilicò beati tumulus confessoris, & sibi iniuriam irrogari præsentis vibratione faretur.

At Germanus pontifex terrore perterritus, amoueri desuper præcepit somnolentos, dicens: Absistite o segnes procul à tumulto, nè sancto Dei molestia inferatur. Quibus amotis, tremorem illum deinceps non senserunt.

Sed nec illud placuit præteriri, quòd cuidam pauperi idem Lufor beatus per visum apparuit, præcepitq; cellulam emundari, in qua, vt fertur, infantia vagitus exegerat. Sed cum pauper ille bis commonitus agere iussa differret, apparuit ei tertio, dicens: Si feceris quæ præcipio, vnum trientem pro obedientia famulatu recipies. Ille verò confurgens, cellula scopis mundata, abluta & aqua herbisq; resperâ, stabat attonitus, pollicitam promissionem opperiens, donèc nutu Dei aduertit trientem in pavimento lucere: quem colligens, lætus abscessit.

DE SS. FELICE presbytero & Eusebio monacho, Lector videat
1. Nouembris S. Casarij historiam.

**VITA S. EMERICI, B. STEPHANI HUNGARORVM
REGIS FILII, EX QVODAM MS. CODICE
per F. Laur. Surium, mutato stylo, descripta.**

Videat Lector Antonij Bonfinij rerum Hungaricarum Decad. 2.
Lib. 2. vbi eadem ferè habentur.

*Nouëbris 4.
S. Emerici
parentes.*



BEATVS Emericus parentes nobilissimos habuit, Stephanum Hungarorum Regem & Apostolum, & Gyselam siue Gyslam, sororem S. Henrici Imperatoris: qui paribus studijs in præstantissimo quoq; virtutum genere certabant. Emericus in tam ardenti charitate Christi natus, quid aliud, quàm suauissimum Deo holocaustum, esse poterat? Ab in-
Nota sancti pueri preces & vigilias. cunte pueritia, quò sanctitatis euasurus esset, facile declarauit: quippè qui cum esset somni parcissimus, alijs dormientibus, à secunda ferè vigilia noctis ad lucem vsque, psalmos Dauidicos lectabat, lucernis coram ipso ardentibus, vt regiam decebat prolem, Ad finem autem cuiusq; psalmi,

psalmi, corde contrito & compuncto, à Deo veniam petebat. Quod cum sanctus patrens eius sapius clam per rimam parietis esset contemplatus, apud se tacitum habuit, nec ulli suorum voluit indicare, magna interim de filio spe concepta.

Cum autem aliquando sanctus Rex monasterium beati Martini, quod ipse in monte Pannonia ingenti sumptu fundarat, & egregia monachorum sodalitate impleuerat, orandi causa vellet inuisere, Emericum filium suum, eius itineris comitem sibi adhibuit, non ignorans, quanta Dei gratia puer ille polleret. Vbi autem ad monasterium propius accessit, monachi honoris causa instituta processione illi obuiam venere, ut ea, qua par erat, reuerentia eum exciperent. Sed Rex sciens filij præclara merita, eum iussit antecedere, fratresque illos salutare, tum ut ea ratione illos honestaret, tum ut filio honor, ipsi paratus, impenderetur. Venit ergo Emericus ad fratres, accipitur ab illis honorificentissime, osculatur singulos, non tamen eodem omnes modo, sed pro ratione meritorum, quæ reuelante spiritu Dei cognouerat, alijs duo, alijs tria, plerisque quatuor vel quinque, vni Mauro septem oscula dedit. Quod cum cerneret pater eius, etsi filium nihil ea in re temere fecisse existimaret, non potuit tamen ob rei nouitatem non ad mirari. Itaque peracto sacrificio, familiariter & accuratè ex eo percontatur, cur non ijsdem omnes patres osculis impertisset. Respondet ille se pro ratione temporis, quo singuli continententer vixissent, alijs plura, alijs pauciora oscula distribuisse. Eum autem, quem septies osculatus esset, virginem permanisse ait: atque ex eo se pretenario numero virginum præstantiam intelligi debere, quæ virtutes alias antecelant, & ad cordium usque intimos recessus, qui soli Deo patefcant, penetret, & reconditas hominum mentes intueatur.

Profectus inde Rex, cum huius rei certiore omnino notitia habere perciperet, & filij sui virtutem magis exploratam, paucis post diebus cum duobus duntaxat comitibus redit ad illud cœnobium, fratrum vigilias & preces clam explorat. Absolutis nocturnis precibus, quas Matutinas vocant, cum alij ad suos se lectos reciperent, soli illi, quibus multa Emericus oscula libauerat, in templo permansere, & in angulos sese abidentes, Domino preces obtulerunt, & reliquum noctis tempus in Dei laudibus consumpsere. Eos igitur singularim accedens sanctus Rex, comiter salutat: eumque illi, rupto silentio, reuerenter resalutant, regiam maiestati deferentes. Tandem ubi ad Maurum venit, cui septem oscula fixerat beatus Emericus, nec blandissima salutatione, nec seuera comminatione ab eo responsum extorquere potuit. In sequenti die ad publicum fratrum conuentum Rex accedit, Maurique humilitatem & sanctitatem explorare cupiens, coram omnibus multa ei obijcit, quæ hominem religiosum facere minime conueniret. Maurus sibi satis bene conscius, nihil penitus ad ea respondet, sed ad Deum, quem sciret mentium certissimum inspectorem, confugit, in eoque spem suam collocat. Itaque ergo intelligens Rex vera esse, quæ filius eius dixerat, omnibus explicat, quo animo illuc aduenerit, Maurumque laudibus in celum vehit, nec diu post quinque ecclesiensem Episcopum instituendum curat.

Emericus autem ætate procedente, simul etiam virtutum capiebat & meritorum incrementa. Nocte quadam cum Vespriis esset, vno ad se famulo accersito, orationis causa vetustissimam beati Georgij martyris ecclesiâ petijt, ibique ante aram in preces incumbens, apud se disquirere cepit, quodnam posset Deo gratissimum munus offerre. Ecce autem immenso lumine tota repente completur ecclesia, voxque cælitus auditur eiusmodi: Præclara res est virginitas. Itaque mentis & corporis virgineam integritatem à te exigo. Hanc offeras Deo, & in ea constanti animi proposito perseueras. Ille verò non suis præsidens viribus, sed ad Dei gratiam confugiens: Domine Deus, inquit, qui inspicis omnia, qui humanam imbecillitatem adiuuas, qui aufers spiritum principum, & terribilis es apud Reges terræ, perface in me gratissimam voluntatem tuam, & noxias perniciosasque concupiscentias rore misericordiæ tuæ prorsus extingue. Confirma fragilitatē seruuli tui, & ut in tuo seruitio perpetim perduret, ab omnibus carnis illecebris & spurca libidine pro tua benignitate eum tuere: præstaque, ne vquam è tua gratia excidat. Porro diuina consolatione confirmatus, rem hanc apud se tacitam habuit, & famulo quoque eius consciò, nè cuiquam eam indicaret, dum adhuc in humanis ipse esset, interdixit. Itaque factum est, ut multa eius virtutum insignia, hominum notitiam, ipso celante, effugerint, nec antequam decessisset è vita, alijs patefacta sint. Nimirum hac ratione sapienter declinauit virtutum pestem, inanem gloriam.

Pater autem illius regno consulere volens, virginem & formam corporis, & morum

Diuina reuelatione monachorum merita describit.

Bonfini non de vno, sed de pluribus hoc eum dixisse scribit.

Maurus monachus sanctus.

Maurus iste quinque ecclesiensem creatur Episcopus.

Virginitatem cælesti responso iubetur seruare S. Emericus. Plal. 75.

Cū spōsa vi-
uit castissi-
mē.

integritate spectatissimam, stirpe regia ortam, ei despondit. Id etsi ille principio titulum recusaret, tandem tamen, paternis precibus victus, assensit quidē, sed ita tamen, ut non solum ipse virgo permaneret, sed etiam sponsam integram conservaret. Iam enim virginitatis amore & proposito, voluptati omni renunciaret. Præclarum hoc erat in regio adolescente, qui posset omnibus huius mundi bonis circumfluere, non modò se à vitæ huius voluptatibus servare immunem, sed etiã sponsam tam illustrem ad earum contemptum, atque etiam ad virtutum studium & vitæ sanctam sanctitatem, adducere. Malebat enim pius a adolescens virtutum illam, quàm liberorum, fecunditate pollere. Nec latuit sanctum eius parentem Stephanum Regem, quem admodum corpus suum maceraret ieiunijs, nè forsitan lasciviret, sponsamq; nõ alio, quàm sororis loco haberet. Sed & sponsa ipsa, cum ille iam in ipso iuventutis flore vita functus esset, quàm castè vixisset, testata est, & famulus ille, quem supra diximus, res eius secretas euulgavit.

Abit è vita.

Non enim diu supervixit, sed quòd cælo vita eius dignior esset, quàm terra, Dominus cum citò tulit è medio, & transtulit in regnum suum. Quidam Archiepiscopus in publicis supplicationibus affirmavit, se eius animam vidisse in cælos euntē. Pater eius admodum doluit regno tantam spem ereptam: consolabatur autem seipsum, quòd filium non dubitaret in cælis felicissimè viventem, egregium & sibi & suis parvorum exhibiturum. Die tricesimo ab obitu eius tot & tantis miraculis Deus illustravit sanctum suum, ut cunctis in vrbe regia, quam Albam regalem vocant, vbi sacrum corpus eius tumulatum est, non mœroris ille, sed gaudij dies videretur.

Miracula
post obitū
eius.

Porro autem Ladislao religioso Rege postea regnante, Conradus quidam natione Germanus, homo flagitiosissimus, tandem magno Dei munere compunctus, cum se ad meliorem frugem recipere cuperet, Romam adijt, Põtifici peccata sua cum ingenti cordis contritione confessus est, animæ salutarem ab eo petijt medicinam. Pontifex ad immanitatem criminum eius obstupescens, hac eum multavit poena, ut Ioricam ferream ad nudum corpus quinque catenis ferreis adstringeret, & chartam, in qua eius peccata enormia scripta erant, Põtificis annulo obfignatam, ad loca, in quibus sancti quiescerent, secum circumferret, donèc diuinitus catena dissoluerentur, & scriptura chartæ penitus obliteraretur. Fecit homo, ut erat iustus, (nihil enim arduum videtur ex animo sua peccata lugenti, & cum Deo in gratiam redire cupienti) inuisit loca sacra, etiam Hierosolymam & Saluatoris sepulcrum non prætermisit. Tandem venit in Pannoniam, vbi beati Regis Stephani tum celebre nomen erat: orat ad sepulcrum eius, nec inde recedere constituit, donèc rupis vinculis & charta abolita, sentiat Domini misericordiam impetrasse. Postquam autem multum delassato inter orandum somnus obrepit, (à prima enim hora vsq; ad nonam in preces incuberat) sanctus Rex ei apprensus, Surge, inquit, amice, & Emerici filij mei monumentum, quod iuxta est, adito. Ille, quòd carnis servanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. Ex eorum enim numero est, qui non inquinaverunt vestimenta sua, sequunturque Agnum, quocunq; jērit, & ante thronum Dei cantant canticum novum. Evigilat homo, ilicò ad beati Emerici se facellum confert, fundit tibi preces, atque opinione celerius dissiliunt ferrei nexi: charta resignata, nullum habet literæ scriptæ vestigium. Ad sonitum cadentium catenarum accurrunt aditui & complures alij, quibus ille omnia ordine exponit. Mirantur omnes, laudant Deum & beatum Emericum, referunt cuncta ad Ladislauum Regem. Is conuocato cõcilio, de beato Emerico sanctorum catalogo adscribendo, cum Episcopis & regni proceribus confert. Iam enim etiam ex remotissimis regionibus eò aduentabant homines, pro grauissimis rebus vota nuncupantes. Indictum est autem triduanum ieiunium, & Nonis Nouembris honorificè eleuatum est beati Emerici corpus, multaque diuinitus miracula eodem elevationis die atque deinceps edita sunt: Præstante Domino nostro

Eccè quomodo, p. cri-
minis imma-
nitate agen-
da sit pœni-
tencia.

Apoc. 14.

Insigne mi-
raculū ad B.
Emerici tu-
mulum.

Elevatur sa-
crū corpus
eius.

Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto
viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

VITA